dormierat et in suo conlocavit sinu.
Relege totam apostoli ad galatas episto-
lam, et animadvertes quomodo filios
ecclesiae suos facere festinet sinagoga
et dicat apostolus: Filioli mei quos iterum
parturio donec formetur Christus in vobis.
Vivum tulit non ut possideret, sed ut occideret.
Non enim amore fecit hoc filii, sed aemulatione et odio.
Et suum mortuum per legis caerimonias in sinu
ecclesiae subposuit. Longum est si vellem per
singula currere quomodo per apostolum pau-
lum et ecclesiasticos viros, si intellexerit
ecclesia non esse suum filium qui tenebatur in lege
et in luce cognoverit quem in tenebris non vi-
debat. Inde iurgium est ortum praesente rege.
Altera dicente: filius tuus mortuus est, meus
autem vivit. Altera respondente: mentiris,
filius quippe meus vivit, filius autem tuus mortuus est.
Atque in hunc modum contendebant coram rege.
Tunc rex salomon qui manifeste salvator
accipitur secundum psalmum septuagesimum
primum qui titulus salomonis inscribitur,
ubi nulla dubitatio est quin cuncta quae di-
cantur non salomoni mortuo sed Christi conveni-
ant maiestati, simulat ignorantiam
et humanus per dispensationem carnis men-
titur affectus, sicut et in alio loco: ubi posu-
istis lazarum, et ad mulierem fluentem san-
guine: quis me tetigit? Gladium postu-
lat de quo dixerat: Nolite putare
quod venerim pacem mittere super terram.
Non veni mittere pacem, sed gladium.
Veni enim dividere hominem contra patrem
suum et filiam contra matrem suam et nurum
contra socrum suam, et inimici hominis
domestici eius. Et temptat naturam natu-
rae dominus, vultque requirendo utriusque volun-
tatem viventem filium in lege gratiaque divi-
dere. Non quo hoc probet, sed quo ad arguen-
dam calumniam sinagogae hoc velle se dicat.
Illaque nolebat ecclesiae filium in gratia vivere
nec per baptismum liberari, libenter habebat di-
vidi puerum. Non ut possideat, sed ut interficiat.
Ecclesia quae sciret suum esse, libenter concedit aemulae
dum vivat saltem apud adversarium, ne per
legem divisus et gratiam salvatoris mucrone
feriatur. Unde dicit et apostolus:
Ecce ego paulus dico vobis, quod si legem
observatis, Christus vobis nihil prodest.
Haec sub nubilo allegoriae dicta sint.
Ceterum ob tamen novit prudentia tua non easdem
regulas esse in tropologiae umbris et quae
in hystoriae veritate. Quod sicubi pedem
offendimus, sapientia lectoris frivolum sit, unde
adtexere quod scribimus, culpam auctoris re-
feratur non esse. Et haec ipsa in lectulo de-
cumbens, longaque aegrotatione confectus
vix notario celeriter scribenda dictavimus,
Non ut impleremus materiam, sed ne quibus in prin-
cipio amicitiae aliquid imperanti videremur
negare. Ora nobiscum ad dominum sospitatem ut
post XII menses quibus iugi labore confectus sum
possim aliquid dignum vestrae scribere volun-
tati. Et ignosce si tamen oratio solito cursu
non fluat. Non eodem lepore dictavimus
quo scribimus, quia in alterius repperi stilum versamus.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0416